EPIGRAMMATA GVILIELMI BLANCI ALBIENSIS IVRISCONSVLTI

IN OBELISCVM

Miræ magnitudinis ex Aegypto quondam à Caio Caligula Romam aduectum, & deinde in Circo Vaticano erectum, iamq. ruderibus penè obrutum in mediam S. Petri aream à SIXTO V. PONT. MAX. translatum, & superimposita Cruce Christianæ Religioni dedicatum.

Accesserunt ad S. D. N. SIXTVM V. PONT. MAX. *aliquot eiusdem Blanci Anagrammata, & Epigrammata.*

Cum libello de ratione Anagrammatismi ad Lectorem.




EX AVCTORITATE SVPERIORVM.

ROMAE, Ex Officina Bartholomæi Grassij. 1586.




SANCTISSIMO PATRI, AC D. N. SIXTO QVINTO PONTIFICI MAXIMO, EIDEMQ. PRINCIPI OPTIMO

GVILIELMVS BLANCVS IVNIOR.




QVOD olim Parthis non licebat Principes suos sine munere salutare, id etiam mihi non licere existimans, BEATISSIME PATER, ne ad S. T. pedes inanis accederē, & acciderem, hoc ei munusculum offerre constitui; illud quidē ex se leuissimum, eaq. planè indignum: sed si ex offerentis animo ponderetur, grauissimū certè, & meæ erga eam obseruantiæ, & cultus monumentū aliquod extiturum. Nam cū parentibus natus sim Catholicis, meq. ipse Ordini Ecclesiastico deuouerim: habeam insuper Patruum Guilielmum Blancum Episcopū Tolonensem huic Sanctæ Sedi Apostolicæ deuotissimū, vt qui pro eius auctoritate defendenda libros complures aduersùs Hæreticos edide-

rit, quibus & fidem Catholicam cõſtabilierit, & illorum repreſſerit temeritatẽ: necnon Vrbem tuam Auenionem maximis bellorũ fluctibus iactatam, & nefaria peſte contaminatã ſub Illuſtriſs. Card. Armeniaco rexerit, Prouinciæ illi ius dixerit, Legationis negotia prudenter adminiſtrauerit, in eoq. munere annos tres & decem ſumma cum laude ſe geſſerit; fieri non poteſt, BEATISSIME PATER, quin & ego pro ingenita, ac velut iure quodam hereditario ad me tranſmiſſa religione & huius Sanctæ Sedis obſeruantiſsimus, & Sanctitati Tuæ addictiſsimus ſẽper ſim futurus. Excipe igitur, obſecro Te, excipe hoc quicquid eſt opuſculi, exemplo auctoris noſtræ ſalutis Ieſu Chriſti, qui duo æra minuta, quæ Euangelica mulier obtulerat, non parui fecit: cuius ego Te Vicariũ agnoſco, & Beatitudinis Tuæ pedibus ſuppliciter aduolutus veneror; quem etiam precari non deſinam, vt Te FELICEM felici Eccleſiæ ſuæ diu, & feliciter conſeruet. Romæ III. Non. Octob. CIↃ IↃ XXCVI.



Ænea serpentis Moses simulachra sacerdos
Extulit, ægrotis ut medicina foret:
Nunc alter Moses Obelisci in uertice Sixtus
Erigit ægrotis ænea signa Crucis.
Vos, ô Romani, sustollite ad æthera uultus,
A Cruce nam uobis uestra petenda salus.

N.B. S.F.



I.


Væ Vaticanis nõ longè à collibus olim
Obscuro latuit Pyramis alta loco,
Nũc media attractã Diui tenet area
(Petri:
Sixti hæc Pontificis solicitudo fuit.
Quæq; priùs steterat multos immota per annos,
Arte noua à Sixto Principe mota fuit.
Tantam Pyramidis molem qui suspicit, ille
Miratur quánam mobilis arte fuit.
Sed nihil est mirũ à magnis si parua trahãtur,
Saxaq; Mons altvs si minùs alta trahat.

II.

Pyramis audierat decus admirabile Sixti:
(Aurita Amphion saxa fuisse docet.)
Admirata suis non credidit auribus illa:
(Credere quis tãtum posset in Orbe decus?)
Vertice submisso sacras obrepsit ad ædes,
Atque Palatinas substitit ante fores.
Tunc caput erexit, Sixtvm si fortè videret,
Quem simul ac vidit, credidit, & stupuit.
Hìc hæsit defixa, locum pertæsa priorem,
Sæpiùs vt Sixti cerneret ipsa decus.

III.

Ad Vaticani radicem ingloria montis
Stabam ego, & immundo semisepulta situ.

Non tulit in tantis miseram me sordibus esse,
Non tulit obscuro me latitare loco:
Sed media in platea iussit me sistere SIXTVS*:*
O quàm vox tanti Principis vna potest!

I V.

Quæsitum est, vtrùm natura potentior arte
Esset; & hæc dubij quæstio iuris erat.
Sed cùm vidissem naturà immobile saxum
Arte trahi, & statui commodiore loco,
Prisca procul, dixi, contentio vana facessat:
En vt naturæ præualet artis opus?

V.

Pyramidem vt vidit religatam Roma moueri,
Funibus & multis obstupefacta trahi,
Cedat, ait, SIXTO*, totus quod continet Orbis:*
Omnia nam Princeps iste mouere potest.
Ecquid non poterit SIXTVS *post illa mouere,*
Si proprio potuit saxa mouere loco?

V I.

Pyramidis nomen si deriuatur ab igne,
Uni debetur Pyramis ista tibi.
Nam cùm flagrantem pietatem denotet ignis,
Vincere te vera quis pietate potest?
Cetera, ad hæc igni subsunt elementa minora:
Et subsunt aër, vnda, solumq́; tibi.

Orbi

Orbi flamma viget cælesti proxima: Cæli
Sic potes occlusas tu reserare fores.
Ignis natura est, vt semper tendat in altum:
Atque animus semper tendit in astra tuus.
Angusto includi nescit vaga flamma camino,
Sic tua non vno est gloria clausa loco.
Purgare est ignis proprium: latronibus ipse
Purgasti Italiam, præcipuisq; malis.
Ignis splendorem partes diffundit in omnes:
Illuces Orbi tu quoque sancte senex.
Nocturnas ignis tenebras dispellit: & ignis
E toto tenebras discutit Orbe tuus.
Igneus es totus, tu nil nisi viuidus ignis:
Pyramis & soli conuenit ista tibi.

VII.

Coctilia Assyrij Babylonia mœnia iactent:
Celsa suam turrim tollat in astra Pharos.
Caria Mausoli celebret regale sepulcrum:
Inclyta Phidiacum prædicet Elis opus.
Decantent Ephesi celeberrima templa Dianæ:
Et Medus Cyri regia tecta canat.
Pulchra Rhodos magni miretur mēbra Colossi:
Pyramidem extollat Roma superba suam.

VIII.

Ingens ut facili posset transferrier arte,
Demissa in terram Pyramis antè fuit.
Inde fuit paruo rursus sublata labore,
Nubibus excelsis inseruitq́ caput.
Discite, Romani, primùm submittier, altum
Si sapitis: summus nemo repentè fuit.
Ast humilis, demissus humi, sublimia quærit.
Qui volet, hoc facili scandet ad astra gradu.

IX.

Saxa agit Amphion, Thebana vt mœnia cōdat:
SIXTVS & immensæ pondera molis agit.
Saxa trahunt ambo longè diuersa: sed arte
Hæc trahit Amphion, SIXTVS et arte trahit.
At tantū exsuperat Dircæū Amphiona SIXTVS,
Quantùm hic exsuperat cetera saxa lapis.

X.

Fama vbi translata fuerit diffusa per Orbem
Pyramidis, nullo deperitura die,
Romanā citus adueniet Germanus ad Vrbem,
Vt maius fama contueatur opus.
Adueniet velox aduersis Indus ab oris,
Et feret hùc celeres Graïa turba gradus.
Hûc iter Hispani facient per cærula nautæ:
Hùc Orientales vela secunda dabunt.

Gallia nostra aderit valdè studiosa videndi,
Quã tenet immodicus Martis, et artis amor.
Si verò Hispanus, Germanus, Eöus, Achiuus,
Indus, seu Gallus Pyramidem videat,
Qui saxi molem non admirabitur huius,
Durior hac saxi mole putandus erit.

X I.

Angulus ingentem celauerat antè remotus
Pyramidem dignam nobiliore loco. (uit
Trãstulit hãc SIXTVS QVINTVS, *mediaq; loca-*
In platea, Diui sunt vbi templa Petri.
Tanta vt Pyramidi fuit area debita tanta,
Debita sic plateæ Pyramis ipsa fuit.
Ac vt Pyramidẽ celebris locus ornat acutam,
Pyramis exornat sic celebrata locum.
Quod dedit hæc illi, priùs hæc accepit ab illo:
Quodq; hæc accepit, iam dedit ille priùs.
Sic par ergo pari compensant munere munus
Comparia officio Pyramis, atque locus.

X I I.

Huc populi properent: en saxea surgit in altum,
Quæ varijs moles molibus acta fuit.
Visendi studio accurrant, quin immò recedant,
Aut sua palpebris lumina tecta premant.

 Nam

Nā subitò attonitus, viso quasi Gorgonis ore,
Qui lapidem hunc cernet, fiet & ipse lapis.

XIII.

Pyramis hæc Solem vix antè obscura videbat,
Maiores Soli quam voluere sacram.
Reddit eam luci SIXTVS*: nunc proxima Soli,*
Fixa solo, soli sola dicata Deo est.

XIV.

Pro merito attolli tibi Pyramis altera debet,
Pyramidē immotā, SIXTE*, quòd arte moues.*

XV.

Vrbs Quiritũ
Floruit, olim
Magnis conſpicua
Molibus, & ſtatuis,
Quas Romana potentia
Mira arte terris è remotis
Victrix in Vrbem vexerat integras.
Hæ denotabant acria prælia
Aduerſus hoſtes facta viriliter,
Virtutis almæ nobile præmium.
Verũ profundis obruta noctibus
Romę iacebant hęc opera omnia,
Ni maximorum Pontificũ decus
Dignus Sibyllæ ſecula viuere
Sixtus, latrones poſt domitos graui
Bello, ſubactos fortiter exules,
Et liberatos Italicos ſinus,
Vrbi nitorem reddere priſtinum
Conatus eſſet: ſaxa iacentia
Ni ſuſtuliſſet: conſpicuo niſi
Rectam locaſſet Pyramidem loco:
Votiuã ad ædem Virginis integræ
Strauiſſet amplas, & faciles vias:
Puras in Vrbem Romuleam niſi
Duxiſſet vndas tramite deuio.
Quando igitur per te nunc priſtina Roma reſurgit,
Communi voto, & veteri de more Quirites
Hunc tibi, SIXTE, locant Obeliſcũ è marmore duro.

SIXTO V. PONT. MAX. OPT. PRINC. FELICI PERETTO DE MONTE ALTO PA. PA. OB PVRGATAM PRAEDONIB. ITALIAM, RESTITVTAM INSTAVRATAMQ. VRB. OBELISCVM CAES. E CIRCO NERON. IN MEDIAM D. PETRI AREAM INCREDIB. SVMPTV TRALAT. ET VERAE RELIGIONI DEDICATVM S.P.Q.R. AD REI MEMOR. OBELISC. HVNC P.

XVI.

Vnus vt est Phœnix, longa post tempora vitæ
Qui rapido incensus Solis ab igne perit,
Sed cinere è proprio sese ipse reseminat ales,
Atque illi è tumulo vita renata redit.
Vnica sic Roma est, longos quæ firma per annos
Incensa hostili sæpiùs igne fuit:
Illa sed è proprijs fuit instaurata ruinis,
Atque è ruderibus pòst reparata suis.

XVII.

Pyramidi superimpositos Tritonia montes
Vt vidit, sancti stemmata clara Patris,
Sic ait ad Musas: vobis linquenda, Sorores,
Græcia: vos Latij regna beata manent.
En vt MONS ALTVS *septem supereminet Vrbis*
Collibus? hunc posthac vos habitare decet.
Vos ille hospitio excipiet, vos ille fouebit,
Et præerit vestris alter Apollo choris.
Nec vos Parnassum montem liquisse pigebit:
Nam fuit iste biceps, ast erit ille triceps.

XVIII.

Pyramidem Soli quam prisca dicauerat ætas,
Auctori Solis tu modò, SIXTE, *dicas.*

XIX.

Multi mirantur Xerses qui Persicus olim
Fecerit, vt velis peruius esset Athos:

Multi

Multi mirantur perfossum à pluribus Isthmon,
Et si perfectum non fuit illud opus.
Multi diuisas Alpes mirantur aceto,
Multi exhausta hominũ stagna Lucrina manu.
Venisse exciso, Luculli in prædia, monte
Euripum, plures obstupuere viri.
Quid si vidissent à SIXTO *Principe motam*
Pyramidẽ, in mediũ transpositamq; forum?

XX.

Sisyphus aßiduò saxum dum volueret ingens,
Alterna posset nec requiete frui,
Sensit apud superos operosa mole moueri
Pyramidem, & sisti splendidiore loco.
Inuidit superis (Stygio nam regnat in Orco
Inuidia) & tales edidit ore sonos:
O me felicem, voluendi vt ponderis ars est,
Ars ita sistendi si foret vlla mihi.

XXI.

Astra Polo lucent, transcendunt aëra montes,
Vasto terrarum degit in Orbe leo.
Pyramide in summa sunt hæc insignia SIXTI,
Cuius laus terras, aëra, & astra replet.

XXII.

Quadrata est, punctũ qua Pyramis exit in vnũ,
Et Soli quondam sacra dicata fuit.
Sic quadruplex annus lucem concurrit in vnã,

Bisse-

Bissextus nobis prouenit vnde dies.
Soli annus sacer est: & nil nisi σύμβολον anni
Romanis olim Pyramis ista fuit.

XXIII.

Cùm vaga diluuio Tellus submersa fuisset,
Et tumidis hominum gens peryßet aquis,
Iactis à tergo saxis reparasse, Poëtæ
Fingunt humanum Deucaliona genus.
Verùm tunc illi si talia saxa fuissent,
O quantos aleret terra Gigantas iners?

XXIV.

Ægypto Augustus Romam me aduexit, et alter
Augustus mediam transtulit in plateam.
Ille fuit princeps, hic princeps: sed facit hunc rès
Augustum, Augusti nomen at alter habet.

XXV.

Quòd mihi tam longo celebretur Pyramis ista
Carmine, ne mirum, candide lector, habe.
Pyramides Phœbo, sũt et sacra carmina Phœbo:
Conueniunt igitur carmina Pyramidi.

XXVI.

Hæreticus, genus impurũ, gens perfida, et exlex,
Gens tantùm indoctos fallere docta viros,
Sacrilego (horresco referens) deiecerat ausô
Edita sacratæ signa verenda Crucis.
Relligio iacuit iusto commota dolore,

Et

Et lacrumas oculis fudit, & ore preces.
Verùm cùm Romæ sanctißimus ænea SIXTVS
Ederet in saxi vertice signa Crucis,
Tunc surgente Crucis signo surrexit & ipsa
Relligio, vt iacuit mœsta, iacente Cruce.
In risum lacrumas, & luctum in gaudia vertit,
Lamenta in cantum, in iubila læta preces.
Nec minùs est gauisa Crucis consurgere signũ,
Quàm doluit sancta signa iacere Crucis.

XXVII.

Vana superstitio sibi Romæ erexerat olim
Pyramides, docta saxa polita manu.
Relligio illius victrix sibi parta trophœa
Vindicat; hisq; addit clara trophœa Crucis.

XXVIII.

Pyramis vt fidei posthac inseruiat almæ,
SIXTVS *eam trãsfert, sacrat & ipse Cruci.*
Nec mirum est tantæ transferri pondera molis,
" *Nam transfert montes indubitata fides.*

XXIX.

Olim Pyramides varias habuere Quirites,
Omnes sed longo deperiere situ.
Vna hæc præ reliquis semper stetit integra Romæ,
Nec potuit longo firma perire situ.
Sic vna est semper Romana Ecclesia, quæ stat
Integra, quam potis est frangere nulla dies.

Quæres, quì steterit longos integra per annos?
Eius quòd CHRISTVS *creditur esse basis.*

XXX.

Ænea serpentis Moses simulacra sacerdos
Extulit, ægrotis vt medicina foret.
Nunc alter Moses Obelisci in vertice SIXTVS
Erigit ægrotis ænea signa Crucis.
Vos, ò Romani, sustollite ad æthera vultus,
A Cruce nam vobis vestra petenda salus.

XXXI.

Integra præ reliquis quòd Pyramis vna remã-(sit,
Non mirum est, illam texerat vmbra Petri.
Sed neque nũc mirũ est in apricum educier illã:
Sub SIXTO *integritas inuiolata manet.*

XXXII.

Romuleã Princeps dum Luxemburgus in Vrbẽ
Magna equitum turma præueniente venit,
Pyramis audito strepitu consurgit in altum,
Celsaq; conspicuum tollit in astra caput,
Scilicet vt pompam latè prospectet equestrem,
Qualem non vidit forsitan illa priùs.

XXXIII.

Dux Pinei veniens Francorum nomine Regis
Dum Romanorum grandia tecta subit,
Pyramidem rectam miratur surgere vulgus,
Quæ præcedenti nocte iacebat humi.

In

In promptu caussa est: mirari desine vulgus;
Intranti adsurgit Pyramis ipsa Duci.

X X X I V.

Dum stabit motus nullis Obeliscus ab Euris,
SIXTE, *tuum stabit nomen, honosq́ tuus.*

X X X V.

Pyramis hìc igitur posthac immota manebis?
Hæc tua erit sedes? hic locus vnus erit?
Immò ego carminibus propria te sede reuellam:
Sis licet ipsa ingens, sis licet ipsa grauis;
Te mea Musa feret, quà se Pallantias effert:
Te trans Herculeos transferet illa sinus.
Sis etiam procera licet, sis quàmlibet alta;
Astra licet ferias vertice celsa tuo,
Altiùs haud solui metuens te penna deinceps
Euehet, & cæli te super astra feret.
Sis diuturna licet, solidò de marmore facta,
Carminibus fies tu diuturna magis.
Marmora tẽpus edit, consumit saxa vetustas:
Sed nihil in Musas hæc duo iuris habent.

FELIX PERETTVS DE MONTE ALTO.
EN SAXVM TOLLIT, ET DEFERT OPE?

Iambicum trimetrum.

Princeps abundè copijs circumfluens,
Qui liberalis parcere impensis negat,
Nil inchoatum deserit, sed perficit
Quicquid profundis experitur sumptibus.
Transferre montes, arduas rupes solo
Æquare, valles eleuare concauas,
Siccare fluctus profluentis fluminis,
Cursus aquarum in prædium deducere,
Saxum, quod altis hæreat radicibus
Fixum, mouere proprio potest loco.
Hæc cuncta Princeps perficit ditissimus.
,, *Magnam potentes porrigunt opes opem.*
*S*IXTVS *gubernans legibus mundum suis*
En grande SAXVM TOLLIT, ET DEFERT OPE?

FE-

FELIX PERRETVS DE MONTE ALTO.

VEL PONTIFEX DETERRET MALOS.

Iambicum trimetrum.

Artes fuerunt Ciuitatis Romulæ
Perdere rebelles, subditis ignoscere:
Istis & Orbem Roma rexit artibus,
Ac imperatrix gentibus leges dedit.
Et nunc easdem Pontifex artes tenet
SIXTVS: per illas imperat feliciter
Et Urbi, & Orbi. Recreat bonos bonus,
VEL PONTIFEX à fraude DETERRET MALOS.

FELIX PERRETVS

PERFERIT EXVLeS.

Asclepiadæum.

Purgauit Latium maximus Hercules
Monstris horrificis, atque latronibus:
Claua roborea contudit exulem
Prædonem hic vbi sunt saxa Lacinia:
Romani latebra montis in abdita
Cacum magnanimus perdidit impium.
Nunc SIXTVS *domitos, alter vt Hercules,*
Non solùm ferit, at PERFERIT EXVLES.

SIXTVS

SIXTVS QVINTVS DE MONTE ALTO.

MVNDO SOLVS EXTAT INQVIETVS.

Hendecaſyllabum:

Felix, qui regitur Monarcha ab vno
Mundus: ſed vigili eſt opus Monarcha,
Et qui centoculi ſit inſtar Argi,
Qui nunquam requieſcat. Ecce SIXTVS
Mundi ſolus honos, Monarcha ſolus,
Mundum quàm benè ſolus adminiſtrat?
MVNDO SOLVS *enim* INQVIETVS EXTAT.

Senarium.

Mundo quietem Principis gignit labor:
Omnes quietos reddere vt mundo queat,
MVNDO INQVIETVS SOLVS *extat* PONTIFEX.

SIXTVS V. DE MONTE ALTO.

TANTOS EXVLES DOMVIT.

Sapphicum.

Gens potens armis inimica pacis
Fuſo inundabat Latium cruore,

Et

Et dabat rubris abolenda flammis
Tecta superba.
Corde ducebat gemitus ab imo,
Et genas fusis lacrumis rigabat
Exules cernens equitare inultos
Itala tellus.
Itala ò tellus cohibe dolorem,
Siste sub SIXTO *lacrumas obortas:*
Ecce Saturni rediere tandem
Aurea secla.
Dic io, Paan, age nunc triumphos,
Delphica crines redimita fronde:
*E*XVLES TANTOS DOMVIT *Peretti*
Ferrea virga.

FINIS.

Typographus Lectori.

Etsi inter Obeliscum, & Pyramidem hoc discriminis pleriq. omnes constituãt, quod ille vno duntaxat, hæc lapidibus cõstet innumeris; quia tamen vtriusque eadem ferè figura, & idem omnino symbolum est, ideo vtraque dictione promiscuè vsus est Auctor, id præsertim in carmine ratus sibi licere.

LIBELLVS
De ratione Anagrammatiſmi
Ad Lectorem

AVCTORE GVILIELMO Blanco Albienſi I. V. D.

BIENNIVM ferè iam eſt, Lector beneuole, cùm è Gallia in Italiam me contuli, vbi in viros eruditione celebres, quibus hæc etiam fœcunda eſt, feliciter incidi, quibuscum ſermonem benè longum de re literaria perſæpe habui, cum quibuſdam etiam conſuetudinem, & amicitiam iunxi. Sed cùm in Anagrãmatωr mentionem caſu incidiſſem, ſatis mirari non potui, rem origine antiquiſſimam, artificio admirabilem, venuſtate amabilem, & vſu apud noſtrates frequentiſſimam, hìc non dicam à vulgo, non ab hominibus mediocriter eruditis, ſed verò etiam à doctiſſimis quibusq́. (vnum, aut alterum duntaxat excipio) paruifieri, aut etiam ignorari: quibus ſi perſpecta foret, planeq́. cognita huiuſce rei pulchritudo, non eſt dubium, quin artis admiratione capti, & rem ipſam ſubitò tentarent, & vt ſuapte natura ſagaciſſimi ſunt, feliciter abſoluerent, in eaq. longè ceteris antecellerent, ac ſe ipſos tandem alijs admirabiles præſtarent. Quandiu enim inuſitatum erit Italis hoc artificium, & Galliæ finibus continebitur, neque Alpes tranſcendet, tandiù neceſſariò eueniet, vt ipſi neque ament illud, ne concupiſcant; Rectè enim dictum eſt à Poëta:

-Ignoti nulla cupido.

Equidem cùm proximis superioribus diebus mea in Obeliscum Vaticanum Epigrammata cum aliquot Anagrammatis SIXTO V. Pont. Max. obtulissem (quæ Sanctissimus ille Senex pro sua erga studiosos benignitate habuit acceptissima) eaque iam in apertum, & lucem proferre cogerer, efflagitarunt à me amici mei complures, & viri quidam doctissimi suaserunt, vt nonnihil adtexerem de ratione Anagrammatis, & quod Lectori proponerem, id ei breuiter vt declararem. Quorum quotidianis tandem deuictus precibus ego me paulisper à grauioribus studijs, & occupationibus subtrahere constitui, vt ad scribendum aliquid de his leuiculis; sed difficilibus tamen, & pulchris animum traducerem. Itaq. Anagrammatismi originem, notationem, naturam, artificium, vsum denique, & finem, via & ratione aperiam, remque ipsam etsi raptim, non agam tamen turbulentè.

Antiquissima est Anagrammatum origo, quorum tamen quis primùs auctor fuerit, nondum compertum habeo. Certè ab Hebræis huiuscemodi artificium promanasse, vel illud argumento est, quòd Hebræi non solùm nomina, sed ipsas etiam nominum literas in magna semper habuerunt veneratione. Et Cabalistarum secreta ferè mysteria literarum numeris intexta dicuntur. Quin etiam memini me alicubi legere (locus tamen mihi non succurrit) Lycophrona literas Hebraicas percalluisse, & inde Anagrammatismos suos fecisse; vt dicendum sit, hoc artificium ab Hebræis ad Græcos transmissum fuisse; à quibus quàm diligenter excultum fuerit, vnius vetustissimi Poëtæ, inter illos septem, qui Pleiades dicebantur, relati eiusdem Lycophronis declaratur exemplo; Illius enim Interpres Isaacius Tzetzes [a] refert eum Ptolemæo Philadelpho non tam ob Poësim, quàm ob Anagrammatismos suos cárum fuisse, à quo ille dicebatur per Anagramma

a Isaac. Tzetzes in prolig. ad Lycophr.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ.

ΑΠΟ ΜΕΛΙΤΟΣ.

Nec'non

ΑΡΣΙΝΟΗ.

ΙΟΝ ΗΡΑΣ.

Sed adſcribam ipſa Iſaacij verba: εὐδοκίμει δὲ τότε Λυκόφρων, οὐ τοσοῦτον διὰ τὴν ποίησιν, ὅσον διὰ τὸ λέγειν Ἀναγραμματισμούς. οἷον ὅτι, Πτολεμαῖος, ἀπὸ μέλιτος λέγει μεταγραμματιζόμενον. Ἀρσινόη δὲ, ἴον ἥρας, καὶ ὅμοια τοιαῦτα. Artemidorus Daldianus Philoſophus [a] Anagrammatum mentionem facit, eaque ad ſomniorum interpretationem (ſed ſomniat ipſe) multùm conducere arbitratur. Scholiaſtes Homeri Euſtathius Anagrammatiſmi meminit, [b] cuius ille quidem multa ſubiungit exempla, quorum nos vnum, aut alterum duntaxat, breuitatis cauſſa, adferemus.

[a] Artemid. lib. de interpr. ſomn.

[b] Euſtath. in verſ. 55. Iliad. α.

χόλος	bilis.	Ἄτλας	Atlas.
ὄχλος	turba.		
ἀρετὴ	virtus.	τάλας	miſer.
ἐρατὴ	amabilis		
φλύαρος	nugæ.	πέλας	vicinus.
φλαῦρος	vilis.	λέπας	rupes.
λιαρὸς	tepidus.		
ἱλαρὸς	hilaris.	μῦθος	verbum.
λόχος	cohors.		
ὄχλος	turba.	θυμός	thymus.

Cùm autem ſub FRANCISCO Primo Galliarum Rege regnare cepiſſent literę, ex illis veteribus Athenis Lutetiam, hoc eſt, in nouas Athenas tranſportatum fuit hoc artificium, quod multi ſtatim exceperunt, & feliciter exercuerunt, maximè verò Ioannes Auratus verè aureus Poëta, immò veriùs Poëtarum artifex, ex cuius officina, tanquam ex equo Troiano, clariſſimi Poëtæ

prodierunt, vt ob eam vel maximè caussam ei conueniat ſui ipſius nominis Anagramma:

IOANNES AVRATVS.
ARS EN NOVA VATIS.

Dicitur autem Anagramma ἀπὸ τοῦ ἀνὰ, quod eſt in compoſitione, re, vel ſurſum, καὶ τοῦ γράμματος, quod eſt litera, vel ſcriptura. Vnde ἀναγράφειν, ideſt perſcribere, vel tranſcribere, quoniam reponuntur, reſcribuntur, contexuntur, & traijciuntur literæ nominis ita aptè, & concinnè, vt earum elementis ſurſum deorſum, vltrò citroq; commeantibus producatur aliqua ſententia, quæ dicitur Anagramma. Quod fortaſſe non aliter fit, quàm olim Democritus voluit atomos ſuas, ideſt, corpora indiuidua ita motu quodam ferri, vt concurſionibus inter ſe cohæreſcerent, ex quo efficerentur omnia. Exemplum erit de hoc noſtro:

LAVRENTIVS GAMBARA.
ERAT VRBI LAVS MAGNA.

Huius enim nominis elementa confundas, perturbes, permiſceas, coaleſcent illa in hanc clauſulam, *Erat Vrbi laus magna*, ſi aptè ſcilicet traijciantur, & connectantur: Nam quæ ſunt literæ in hac clauſula, *Erat Vrbi laus magna*, eæ ſunt in his nominibus, *Laurentius Gambara*, hoc eſt, non pauciores, non plures, non aliæ; ſed totidem, ſed eædem. Qua in re tria requiruntur, duo ex parte artificis, ingenium, & labor; vnum ex parte rei, nominis ſcilicet diſpoſitio: Nam & animi, & ingenij celeres quidam motus eſſe debent ad excogitandum, quid ex cuiuſuis nominis literis elici poſſit; In quo etiam multum induſtriæ ponendum, multum operæ, & laboris inſumendum, vt ad finem perducatur. Quod non aliter fiet, quàm ſi nominis ratio, & diſpoſitio id patiatur. Sunt enim pleraq; nomina adeò intricata, & (vt ita dicam) infelicia, tam crebris, tam aſperis literis cōpoſita, vt vel depoſito pignore con-

ten-

tendam, nihil ex illis, quod perfectum habeat ſenſum, elici poſſe; ſed frequenter accidit, vt nomina pluribus vocalibus, & ſimplicibus literis, ijſque diuerſis conſtantia feliciora quodammodò ſint; ex quarum tranſcriptione, & tranſpoſitione denominatur, vt diximus, Anagramma. Sic Επίγραμμα, inſcriptionem dicimus ἀπὸ τοῦ ἐπιγράφειν. Appellatur etiam à Græcis Αναγραμματισμὸς, vt ἑλληνισμὸς, βαρβαρισμὸς, σολοιχισμὸς, & id genus alia. Eſt ſiquidem Anagrammatiſmus literarum traiectio, & tranſpoſitio: nomen figuræ apud Grammaticos, qua vocabuli alicuius literis traiectis, & tranſpoſitis fit alia, & diuerſum ſignificãs vox. Ac verbum ἀναγραμματίζειν hoc loco vſurpatur pro, tranſpoſitis literis efferre, aut dicere. Vnde ipſa vox ἀναγραμματίζεσθαι, quæ traiectis literis effertur. Et ſanè Anagrammatiſmi dictionem omnibus ſuperiùs adductis Auctoribus probatam eſſe video: cùm tamen Anagrammatis vocabulum nuſquã, quod ſciam, legerim; ſed cur tamen reijci debeat, nõ video: ſiquidem & à viris doctiſſimis Anagrammatis dictionem accepi; & ſi Epigramma dicitur, cur non & Anagramma? Neq; verò aliquid diſcriminis eſſe opinor inter Anagrammatiſmum, & Anagramma, niſi quod Anagrammatiſmus ipſam figuram, ipſumq; modum traijciendi literas: Anagramma verò prouenientem ex hac literarum traiectione clauſulam, ſiue comprehenſionem ſonat, vt Epigramma non inſcribendi modum, ſed inſcriptionem ipſam ſignificat. Nos vtraq; dictione promiſcuè vtemur pro illa verborum comprehenſione, quam diximus. Magnam verò adfinitatem videntur cum Anagrammatis habere verſus, quos Græci ἰσοψήφους appellarunt. Cùm enim Græcorum literæ, & item Hebræorum, & Chaldæorum, numerum etiam aliquem ſignificent, huiuſmodi verſuum literæ acceptæ, vt aliquid numeris ſignificent, eundem conflant numerum, & conſtituunt. Vnde eos verſus ἰσοψήφους appel-

latos

latos esse constat, quorũ meminit scriptor Noctium Atticarum [a]. Apparet hoc vel ex Epigrammatis Græcis,[b] vbi Damagoræ cuiusdam nomen ἰσόψηφον esse cum nomine λοιμὸς falsè, & acutè ostenditur à Poëta, cuius nomen non est positum. Id quod ex hac descriptione apparebit.

a Aul.Gell. noct. Attic. lib.14.c.6.
b Epigram. Græcor.li.2 Epigr.253.

Δ	4	Λ	30
Α	1	Ο	70
Μ	40		
Α	1	Ι	10
Γ	3	Μ	40
Ο	70		
Ρ	100	Ο	70
Α	1	Σ	200
Σ	200		
	420		420

Quibus positis, facilè & Epigramma ipsum intelligetur, quod breuitatis caussa prætermitto. Similis, vt dixi, ac planè gemina Anagrammatismi, & nominum ἰσοψήφων ratio, non quidẽ eadem; ita tamen vt res vtraq; exprimere alteram, aut certè adumbrare videatur. Neque etiam dissimile est quod apud Heliodorũ [c] legi, nihil aliud esse omninò Nilum, quàm annum, hoc & appellatione confirmante: literis enim quæ nomine continentur, in calculos distributis, ter centum quinq; & sexaginta vnitates, quot & dies sunt anni, congregabuntur: quod facilioris doctrinæ caussa ita describimus.

c Heliod.libro 9. Aethiop.

Ν	50
Ε	5
Ι	10
Λ	30
Ο	70
Σ	200
	365

A quo non abhorrent etiam Græci quidam versus Sibyllini, quorum cùm varia sit interpretatio apud Hieronym. Cardanum, [a] Auratum, & Scholiastem Theophrasti, [b] satius iudicaui, eos non adducere, quàm adductos non interpretari. Nos verò hìc de Anagrammatismo duntaxat tractamus, cuius adducenda iam est definitio, vt clariùs nobis elucescat, quid sit id quo de agimus. [c] Anagramma est clausula, quæ ex artificiosa literarum omnium, neque plurium alicuius nominis transpositione componitur. Clausula loco generis à me constituitur, quippe quæ latè pateat, & plures sub se species complectatur; maximè verò in Iure nostro, vbi clausulæ appellantur edictorum, stipulationum, testamentorumque particulæ. Hinc Vlpianus dixit clausulam [d] de ventre in possessionem mittendo, [d] clausulam compromissi, [e] clausulam de re iudicata, de re defendenda, de dolo malo, [f] & Paulus clausulam legati. [g] Sed dicitur propriè clausula, id quod aliquid claudit, veluti cùm [h] Plinius vngues clausulas neruorum summas appellauit. Sumitur nonnunquam pro sententia, quæ epistolam, vel carmen concludit, vt apud Cic. cùm ait, [i] *Vtar ea clausula, qua soleo*. Quibus modis omnibus clausulæ significatio, ni fallor, Anagrammatismo aptè quadrat. Est enim Anagrammatismus particula orationis, & quatuor plùs minùs dictiones continet; cùm tamen vnam duntaxat persæpè contineat; Nam & vnici nominis, vt paulò pòst dicemus, Anagramma fieri potest. Claudit etiam, vt plurimùm, Epigramma, cui adponitur; quod vel ex nostris liquidò apparet. Præterea sæpè accidit, vt ex traiectis nominum literis fiat aliqua sententiola, quæ ipsum etiam Epigramma, cui adtexitur, argutè concludat. Est igitur Anagrammatismus clausula; sed quæ tandem clausula? Clausula, quæ ex artificiosa literarum omnium, neq; plurium alicuius nominis transpositione componitur. Quæ

verba

a *Card. de rerũ var. li. 10 cap. 51.*
b *Leo suauius in schol. ad Theophr. Paracelsi de vita long. li. 1. c. 5.*
c *Cic. Offic. lib. 1. c. 1.*
d *l. Posthumus. ff. de inoff. test.*
e *l. Labeo ait ff. de recep. arb.*
f *l. Iudicatũ ff. iud. sol.*
g *l. sed etiam ff. de leg. 1.*
h *Plin. li. 11. cap. 45.*
i *Cic. epist. fam. 2.*

verba differentiæ loco ſunt: diſcriminant enim, & diſtinguunt Anagrammatiſmum à ceteris clauſulis. Sed expendamus ſingula verba huiuſce definitionis. Artificioſam dixi hanc literarum tranſpoſitionem, quia opus eſt non ſolùm ingenio, ſed etiam artificio quodam ſingulari in Anagrammatis componendis. Ac vt Paulus I.C.[a] Grammaticam appellauit artificium; ita etiam hæc, vt ita dicã, Anagrammatica poteſt aptè congruenterq. artificium appellari. Quod ſi cui fortè dubium eſt, quæſo admoueat manum ad opus, niſi pluteum ceciderit, niſi ungues demorderit, niſi digito caput ſcalpſerit, niſi fortè rei difficultatẽ pertæſus opus abiecerit, patientiſſimus erit iudicandus. Sed quoniam, vt eſt in libris noſtris,[b] omne artificiũ exercitatione incrementum recipit, ideò qui ſe in hoc artificio multùm & ſæpe exercuerit, ſentiet paulatim non minorem difficultatis deceſſionem, quàm exercitationis factam eſſe acceſſionem. Literarum dixi, quoniam transferuntur & tranſcribuntur literę, vnde etiam, vt diximus, Anagrammati nomen eſt. Quod ſi nomina, non autem literę nominum tranſponerentur, non iam eſſet Anagramma, ſed eadem eſſet oratio, cùm ex Philoſophorum,[c] & Iuriſperitorum[d] placitis, uerba tranſpoſita ſenſum non immutent. At verò ſi ipſæ duntaxat ſyllabæ tranſponerentur, dicendus tunc eſſet Anagrammatiſmus, quoniam ſyllabarum tranſpoſitione, etiam ipſę quodammodò tranſponuntur literæ, neq. remanet eadẽ oratio, exempli gratia:

ROMA.
MARO.

Scribemus itaque nomina per literas, non autem per notas; vt olim in hac Vrbe celeres Notarij excipientes verba dictantis per compendia, & notas ſibi quidem notas, ſed alijs ignotas ſcribebant, vt ex Seneca,[e] Plutarcho,[f] & alijs

a l. duo ſocietatem. ff. pro ſoc.
b l. legatis. §. ornatricibus. ff. de leg. 2.
c Ariſt. de Interp. lib. 2 cap. 1.
d l. Quidam. ff. de pecul. leg.
e Senec. lib. 14. epiſt.
f Plutar. in Caton.

& alijs apparet: vnde etiam à Græcis σημειογράφοι, à Latinis Notarij dicebãtur: quò spectant Versus illi Martialis:[a]

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et illud Manilij:

— cui littera verbum est,
Quiq. notis linguam superet.

Notas enim literas non esse Pedius libro xxv. ad Edictum scripsit[b]. Ac licet militare testamentum notis scriptum iure singulari ex Responso Pauli sustineatur[c], illud tamen quod iure communi fit, ne notis scriberetur prohibuit Iustinianus[d]: vt & in libris suis quicquam per notas scribi, non vno in loco districtè vetuit[e]. Et Basilius Imperator Orientis animaduertẽs occasionem maleficij prauis hominibus eò dari, quòd numeri, quibus, verbi gratia, semis, sextans, vncia, & similia designantur, per notas, recepta antiquitùs consuetudine scriberentur, loco notarum literis vti iussit, quas etiam rustici legere possent, & de suo sumptus in chartas, literas, & scribàs ipse suppeditauit[f]. Ego certè numeros per notas scribi, & in Anagrammatismo literam numeralem, licet refragante Iure Ciuili[g] propter falsi periculum[h], suffragante tamẽ propter rei difficultatem Anagrammatismi iure, locũ obtinere posse existimo. Adferemus exemplum à nobis ipsis petitum, cùm alienum non possimus; Nemo enim vnquã, quod mihi vidère contigerit, hac de re scripsit:

SIXTVS V. DE MONTE ALTO.
TANTOS EXVLES DOMVIT.

Sed verò nobis literarum ordo perturbandus non erit, neque nouum nobis Alphabetum cõminiscemur, vt olim Iulius Cæsar, ita referente Suetonio[i]: *Extant, inquit, & ad Ciceronem, & ad familiares domesticis de rebus epistolæ, in quibus, si*

a Martial. lib. 14. Epig. 208.

b l. sed cum Patrono in fin. ff. de bono. possess.

c l. Lucius in princip. ff. de mili. testam.

d §. 2. in Auth. de testa. imperf. coll. 8. & Auth. quod sine subscriptione. C. de testamen.

e l. 1. §. pen. & l. 2. §. si quid verò C. de vete. iur. enucl. & in §. illud autẽ in proœm. ff.

f lib. 1. Iuris Orientalis, constitutione 2. Basilij.

g d. §. 2. in Auth. de testam. imperfect. coll. 8.

h l. quoties 9. 2. ff. de here. instit.

i Sueto. in Iulio Cæsare c. 56. & Aul. Gell. Noct. Attic. li. 17. cap. 9.

quæ occulta perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset, quæ si quis inuestigare, & persequi vellet, quartam elementorum literam, id est, D, pro, A, & perinde reliquas commutet. Brutus etiam ipse, auctore Isidoro,[a] quę acturus erat, his notis & singlis, vt Iustiniani verbũ vsurpem, significabat. Sic hodie plerosq; per huiuscemodi notas, quas nos, *Chiffres*, Itali, *Zifere*, appellant, scribere animaduertimus, veritos ne interceptæ literæ aperiantur, vel quòd nolint familiarem sermonem in alienas manus deuenire, vel quòd facinus aliquod moliantur; vt è Rep. fuerit proximis superioribus diebus hic edicto caueri, ne quis per literas, vel per has notas de alicuius fama detrahere, aut Principibus maledicere audeat, nonnullis caussam dantibus edicto. Præterea scribemus nomen integrum; neq; enim pro Petro, Paulo, aut Publio scribam simplex, P, sed extendam ipsum nomen. Alioqui excitandi essent ab inferis Valerius Probus, & Petrus Diaconus, qui has singularias nominum literas (sic enim vocantur à Gellio[b]) nobis interpretarentur.

a *Isid. Etym. lib. 1. c. 34.*

b *Aul. Gell. ibid.*

Subiunxi porrò (omnium) quia debent omnes omninò nominis literæ in Anagramma concurrere. Hęc enim est lex Anagrammatismi, vt neque literarum aliquid addatur, neque detrahatur. Sed tamen aliquandò nobis aliquid remittitur de hoc stricto & summo Anagrammatismi iure, & quadam velut æquitate Pretoria nobiscum agitur, vt scilicet vnam, aut alteram literam omittamus; sed adhibito tamen iudicio, vt non primaria sit nominis litera, quę reijcitur, sed aliqua ex illis, sine quibus posset facilè subsistere per se nomen. Cùm autem in nomine eædem literę plures sunt, tunc faciliùs vnius, aut alterius omissio condonatur; maximè verò propter elegantem aliquem sensum, qui personę ipsi conueniat, vt in illo Gallico Ioãnis Aurati Poëtę Regij in Petrum Ronsardum Pindari ęmulum, in quo ex quatuor, RRRR, duo omittuntur:

PIER-

PIERRE DE RONSARD.
ROSE DE PINDARE.

Ille idem Auratus hunc Anagrammatiſmum verſibus illuſtratum ad GREGORIVM XIII. tranſmiſerat.

GREGORIVS DECIMVS-TERTIVS.
DEI GREGIS SECVRI TVTOR.

Donec GREGORIVS DECIMVS tibi TERTIVS adſtat,
Non eſt cur timeas, paruulum ouile, lupos.
Cui ſi diuino data numine nomina vertas,
SECVRI TVTOR fit GREGIS ille DEI.

In quo quidem Anagrammate tres illæ literæ M. S. V. omiſſæ reperiuntur, quod vtiq; propter illius venuſtatem, & conuenientiã tolerari poteſt. Sed dederit mihi veniam tam induſtrius artifex, ſi manum alienæ tabulæ adpoſuero, easq́; tres literas ita leui negotio adcommodauero:

GREGORIVS DECIMVS-TERTIVS.
DEI GREGIS-SECVRI TVTOR SVM.

Donec GREGORIVS DECIMVS tibi TERTIVS adſto,
Non eſt cur timeas, paruulum ouile, lupos.
Nam ſi diuino data numine nomina vertas,
SECVRI TVTOR SVM GREGIS ipſe DEI.

Quo quid venuſtius, quidve Pontifici conuenientius excogitari poteſt? Sed eò redeamus, vnde nos exempla abduxerunt. Poterit facillimè omitti litera, ſine cuius miniſterio poteſt per ſe ſtare nomen: vt litera, H, quæ conſonantibus poſtpoſita poteſtatem non admodum videtur mutare. Qua ratione factum eſt, vt Latinorum quidam [a] eam literarum albo expunxerint, non tam literam,

[a] *Aul.Gell. Noct.Attic. lib.2.cap.3. Diomed.li.2 et Priſcian. lib.2.*

quàm adſpirationem eſſe rati: quò ſpectant Verſus illi Mauri Terentiani: [a]

a Terentia. Maur. de liter.

Nulli dubium eſt, faucibus emicet quòd ipſis
H. litera, ſiue eſt nota, quæ ſpiret anhelum:
Quin hanc etiam Grammatici volunt vacare,
Quia non adicit literulis nouum ſonorem.

Nos etiam in hoc Anagrammate eam prætermiſimus, quod olim Toloſæ pueruli ad quendam Præſidē luſimus:

MATThAEVS CALVENTIVS.
TALES MVSA VETAT VINCi.

Sed qua ratione nihil in Anagrammate omittendum eſt, eadem etiam nihil adijciendum. Ideò diximus in definitione, (neque plurium). Poterit tamen, ſi ſubſit aliqua ratio, addi litera, veluti ſi dixeris, relliquias, relligio, repperit, & ſimilia, quæ Poëtis vſitatiſſima ſunt. Non enim ita religiosè obſeruanda eſt orthographia in Anagrammatis, ſicut in reliquis; ſed aliquantulùm ab eius lege, & regula propter neceſſitatem deflectemus. Ego quidem in Anagrammatis meis aliàs ſcripti *Perettus*, vt omnes ad vnum ſcribunt, aliàs *Perretus*, vt etiam ſcribi poſſe exiſtimo. Non longè abiero. Celeberrimus olim ille in Auenionēſi Academia Iuris Profeſſor Aemilius ab omnibus Ferretus, à nullo Ferettus dictus fuit. Si ſcribitur *Ferretus*, cur nō & *Perretus*? ſed de hoc alij viderint. Id mihi ſatis eſt oſtendere, poſſe nos aliquandò, ſi vrgeat neceſſitas, à communi orthographia ſine ſcrupulo recedere, dum ſubſit modò aliqua ratio. Exemplum tradi poteſt de Anagrammate REGIS, & REGINAE, quod apud nos incerto auctore circunfertur:

HENRY DE VALLOIS ROE.
LOVYSE DE LORRHAINE.

In quo R O E pro R O Y ex noua quorundam ſcribendi ratio-

ratione ponitur. Quòd ſi quis fortè adeò moroſus fuerit, vt eum adſpiratio poſita in medio illius dictionis, *Lorrbaine*, offendat, poterit ea in alterius principio non malè collocari, hoc modo, *Hlouyſe*. Nam in antiquis numiſmatis ſæpenumerò vidi, *Hlodouicus*, præpoſita adſpiratione. Vnde etiam, *Clouys*, pro, *Louys*, & *Clodoueum* pro *Lodouico*, dici à noſtris adſpirationis notà non benè animaduerſa, ea'que ideò in literam, C, commutata, didici à Seraphino, vt Iuris, ita bonarum omnium artium peritiſſimo. Admirabile certè Anagramma, & velut diuina quadam prouidentià cõſtitutum, vt in REGIS nomine nomen REGINAE, & è conuerſo, inueniatur. Nec'non qui vna caro ſunt, quaſi vno, & eodem nomine cenſeantur. Amicus quidam meus plus fortaſſe amicitiæ, quàm veritati tribuens, cùm Aueniōni ſuperioribus annis Ius Ciuile publicè profiterer, hoc mihi dedit Anagramma:

GVILIERMVS BLANCiVS.
VIR MAGNVS ILLVCEBIS.

vbi, *Guiliermus*, pro, *Guilielmus*, ſcribebat, ea ductus ratione, quòd à Græcis Ιλιερμὸς, non Ιλιελμὸς, ſcribi animaduerteret. Quod equidem quanquam in me nec agnoſco, nec me vnquam agniturum profiteor, omen tamen accipio. Porrò dubium non eſt, quin diphthongus omnis ſeparari poſſit per diæreſin (quod ego in vetuſtiſſimis lapidibus ſæpiùs obſeruaui) vt è conuerſo vocales duas in vnam diphthongum quaſi per ſinæreſin coaleſcere poſſe certiſſimum eſt; quod vtrunque præſtitit Auratus in Anagrammate Sanctiſſimi nominis I E S V.

ΙΗΣΟΥΣ.
ΣΥ Η ΟΙΣ.

vbi diphthongum propriam, ου, in duas vocales dissoluit: deinde verò literas duas, ο, &, ι, in vnam diphthōgum, οι, compegit. Feliciſſimum ſanè Anagramma, cùm ille ſe per Prophetam* tanquam ouem ad ſacrificium ducēdum eſſe pronunciauerit. Quin & aliquandò licere exiſtimo, omiſſa diphthongo, ſimplicem, eamq; vltimam, & ſonantem literam retinere. Sed quantum in nobis erit, obſeruabimus communem orthographiam, quæ nimirùm recepta eſt à claſſicis, & probatis auctoribus. Quòd ſi tamen fuerit adiungenda litera, adiungemus vnam ex illis quæ nomen conſtituunt, vt non tam adiunxiſſe, quàm iteraſſe videamur; faciliùs enim permittitur repetitio literæ, quàm adiectio nouæ, vt in eo noſtro,

*Iſa. 53.

FELIX PERRETVS.
PERFERIT EXVLeS.

litera, e, repetitur. Ita etiam in Anagrammatiſmo Viri Illuſtriſſimi literam, a, iteraui, cuius nomen idcircò prætermitto, quòd in commodiorem locum illud mihi reſeruandum eſſe duco: Anagramma quidem inſero:

SOLVS LABE VACaBIS.

P. Franciſcus Bencius è ſocietate Ieſu, Mureti noſtri diſcipulus, de quo tantus ille Magiſter non immeritò gloriari ſolebat, literam, s, duplicauit in ſuo illo de Beato Ignatio, qui auctor fuit illius Orbi Chriſtiano fructuoſiſſimæ Religionis:

IGNA-

IGNATIVS DE LOIOLA.
O IGNIS A DEO ILLATVS.

Quòd si quærat aliquis, num faciliùs adiectio, quàm omissio toleretur? magis putarim adiectionem tolerari. Ita enim natura comparatum est, vt lubentiùs plusculum semper accipiamus, quàm aliquid omittamus. Neque verò scio, an perfectæ alicuius sententiæ complectendæ, & ex literis nominum eliciendæ caussa, recipi illa consuetudo possit, qua literæ quatuor aut quinque repetuntur, & dictio interdum vna in Anagrammate iteratur, vt in quodam Mureti, omnium qui sunt, aut fuerunt nostra ætate, eloquentissimi,

MARCVS ANTONIVS MVRETVS.
MERCVRIO NATVS NATVS SVM.

repetitur videlicet dictio illa, *natus*, haud scio, vti dicebam, an rectè; sed fortasse tám commodæ sententiæ caussa tolerari potest; cuius etiam mentionem facit Bencius in funebri illius Oratione amoris in eum sui, & elegantiæ plenissima. Multò tamen, meo quidem iudicio, elegantius illud de eodem Mureto Anagramma Lingua Gallica,

MARC ANTOINE DE MVRET.
NATVRE M'A MENE. DROICT.

quo significabatur, eundem Muretum ingenio potiùs auctore, ac natura duce ad tantarum rerum cognitionem, vsumque venisse, quàm vllo vsum doctore, ac magistro: fuisse nimirùm & Græci dicunt, & in magna ingenij commendatione ponunt, (cuius etiam rei commendatione cãtor ille apud Homerum Phemius in [a] Odyssea penè extrema à superbis procis mortem deprecabatur)

[a] Hom. Odyss. lib. 22.

tur) αὐτοδίδακτον: qualem etiam fuisse Heraclitum Ephesium Suidas attestatur.[a] Sed vt eò reuertamur, vnde nos Mureti iucunda recordatio auerterat, qui & omittere simul, & accipere volet, audiendus nō erit. Licet nobis tamen aliquandò literam vnam in alteram mutare, hoc est, pro elemento vno aliud adsumere; vt & vnius omissio, & alterius adiectio videatur. Nos, T, in V, in eo Anagrammate commutauimus,

a Suid. in histor. & Dion Chrysostom. Orat. 56.

SIXTVS QVINTVS DE MONTE ALTO.
MVNDO SOLVS EXTAT INQVIETVS.

Sed hoc loco literarum cognationes diligenter considerādæ erunt, quæ ex Græcis, & Latinis Grāmaticis peti possunt. In vocalibus facilis[b] est transitus ex, A, in E, & ex, E, in, I, rarior ex, A, in, O, frequētissimus ex O, in, V, & cōtrà. De consonantibus alij viderint. Fortassis etiam litera duplex in simplicem non malè mutabitur, veluti, Z, in, S, vt videre est in nostro Doctoris Nauarri:

b Becan. lib. 1. Hermat.

MARTINVS AB AZPILCVETA.
BEATVS IN CAeLVM ASPIRAT.

Sed conclusio est Anagrammatismum tantò propiùs ad perfectionem accedere, quantò longiùs abest ab omni licentia[c]. Persequamur membra definitionis nostræ. Diximus (alicuius nominis.) Sed cuius tandem nominis? Proprij scilicet. Vnde Populi in Africa Atlantes dicti, sine Anagrammate erunt, cùm soli sint anonymi, hoc est, sine proprijs nominibus; nam in vniuersum Atlantes nominantur:[d] singulis autem nullum proprium imponitur. Ac fortasse non ineptè dixerit aliquis, quatuor illorum contractuum, quos nostri innominatos appellāt,[e] & vulgarium Actionum præscriptis verbis, quæ proprium nomen non

c arg. l. 1. ff. de orig. iur.

d Plin. lib. 5 c. 8. Solin. in Polyhistor. Herodot. lib. 4. Melpome.

e In l. iurisgentium §. 1. ff. de pact.

non habent,[a] nec non beneficiorũ, seu, vt Latinè loquar, sacerdotiorũ, quæ innominata dicimus, nullum dari posse Anagramma: hæc, inquam, fortasse non ineptè dixerit aliquis, cùm non in personis modò, sed in omnibus etiam rebus, vt ita loquar, nominatis locum esse Anagrammatismo, cùm ex Eustathij exemplis, quæ superiùs adduximus, tum verò ex ijs, quæ mox dicturi sumus, perspicuum fiat. Sciendum est autem nomen proprium bifariàm accipi, in genere scilicet, & in specie. In genere sumptum, prænomen, nomen, cognomen, & agnomen continet: speciatim, & strictè acceptum, à prænomine, cognomine, & agnomine distinguitur. Idq; non aliter, quàm in Iure nostro, adoptio,[b] cognatio,[c] & iurisdictio[d] & in genere, & in specie considerantur. Nos verò hic generatim accipimus nomẽ, vt possit aliquis pro arbitrio, & prænomen, & nomen, & cognomen, & agnomen simul vertere, exempli gratia, si quis Anagrammatismum fecerit horum nominum,

Publius Cornelius Scipio Africanus.

Quin etiam nomini proprio potest interponi dignitatis nomen, & similium. Huius generis vnum mihi olim Tolosæ à quodam caussarum patrono eius artifice relatũ fuit, idque longè pulcherrimum,

GEORGIVS CARDINALIS ARMENIACVS.
DIVINO MISSA SACRA LVCERNA GREGI.

Neque illud reticebo, quod cùm essem Neapoli, retulit mihi, nescio quis, suppresso auctoris nomine, sed posteà in Vrbem reuersus intellexi esse Ioannis Cargæ viri benè docti:

RODVLPHVS DE AVSTRIA IMPERATOR SECVNDVS.
ARDORIS VACVVS TV DE SPLENDORE TRIVMPHAS.

Illustrissimus Carolus Borbonius Cardinalis de Vendosme,

a l. 1. & l. 2. ff. de præscript. verb.

b §. 1. Insti. de adopt. l. 1. ff. eod.

c l. pen. ff. vnde legit.

d l. 3. ff. de iurisdic. om. iudic.

me, Princeps inter eruditos nobilitate, inter nobiles eruditione, inter vtrosque pietate, ac inter omnes humanitate excellens, vnum luculentissimum concinnauit, quod arguto Epigrammate exornatum ad Summum Pontificem misit:

SIXTVS QVINTVS DE MONTE ALTO.
MONS TVTVS, IN QVO STAT LEX DEI.

Licebit præterea separatim nomen vnum tantummodò vertere, vt,

V A L E S I V S.
L A V S I E S V.

nam & Hebræi vnum tantùm, & simplex nomen habuere, vt Moses, Isaac, Esau. Item Græci, vt Homerus, Demosthenes, Hesiodus. Idemq; antiquitùs apud Germanos in vsu fuisse, vt vnico nomine, eoque proprio singuli censerentur, adnotauit Viglius [a]. Quin etiam apud Romanos, seruis vnicum tantùm nomen fuisse, ex quodam Imperatorum Rescripto [b] apertissimè colligitur. Et ferè appellantur à Iureconss. in thematis proponendis, Stichi, Erotes, Damæ, Pamphili: liberi verò Sext. Augerius, T. Sempronius, C. Seius, P. Mæuius, L. Titius, Aul. Numerius. Sed frequentiùs accidit, vt nomen & cognomẽ simul vertantur, quæ etiam separatim, vt dixi, verti possunt. Reuerendissimus D. Seraphinus Oliuarius, Auditor Rotæ, magnum certè non huius modò Aulæ Pontificiæ, sed totius etiam Galliæ ornamentum, vt est vir acerrimo ingenio, ita Græcum nominis, & cognominis sui Anagramma ingeniosè composuit, quod is mecum, pro sua erga me beneuolentia, communicauit:

a Vigli. in §. nominatim Insti. de exhered. lib.

b l. cùm precum. C. de liberal. causs.

ΣΕΡΑΦΙΝΟΣ ΟΛΙΒΑΡΙΟΣ.
ΣΟΙ ΦΡΕΝΑΣ ΟΛΒΙΟΣ ΙΡΑ.

quod

Quod si separatim legatur, vtraque pars sensum habebit perfectum, & separatum, qui tamen concurrere potest. Ego verò Latinum ita feci:

SERAPHINVS OLIVARIVS.
LVNA, SIVE PHAROS IVRIS.

Vt eo nomine multum me debere agnoscam Illustrissimo IACOBO SABELLO S.R.E. Cardinali Amplissi. Patrono colendiss. quòd perhumana sua commendatione, & auctoritate mihi cum tali & tanto viro consuetudinem fecerit, meq; in illius quasi fidem commiserit. Sed & illud sciendum est, non hominum modò, verùm etiam quarumcunque rerum, arborum putà, fluminum, aut vrbium nomina verti posse. Nam & nos hunc de Roma Anagrammatismum ludibundi fecimus,

R O M A.
M O R A.

Cur varios tandiu remoratur Roma clientes?
Fortè quòd inuerso nomine ROMA MORA est.

Subiunxi in definitione (transpositione) quoniam si sensus aliquis ex nomine, literis minimè transpositis, colligeretur, non tam esset Anagramma, quàm æquiuocum. Sed & transpositionis significatione conuersionem intelligo, quãdo scilicet nominis literæ cõuertuntur, recurrũt, retro cõmeant in aliũ sensum, vt Roma cõuerso nomine Amor erit, tunc enim transpositæ censentur literæ, & dicendum est Anagramma. Veram igitur, & propriam intelligimus esse Anagrammatis definitionem, quæ superiùs à nobis adsignata fuit, & hactenus explicata, quam qui tenuerit, & maximam huius artis partem assecutus videbitur. Ac vt iam aliquid de Anagrammatismi vsu tradamus, nos eo vti possumus tanquam aliquo apophthegmate, maximè si

argutam aliquam ſententiolam complectatur. Poterit in fronte libri oſtentari, in ſepulcri marmore inſculpi, inſcribi in inſignibus, nec non lepidis verſibus illuſtrari; illud præſertim quod explicationem aliquam videbitur deſiderare, quale eſt illud noſtrum in Angelium Poëtam clariſſimum, cuius ſingulare erga nationem noſtram ſtudium declarat Syrias, quam vt ad finem quamprimùm perducat, illum ego ſæpenumerò cohortari ſoleo, ne ſi imperfecta relinquatur, id ei contingat, quod olim Apellis Veneri legimus contigiſſe [a]:

a Plin. lib. 35. c. 10.

PETRVS ANGELIVS BARGAEVS.
ABEL PANGIT GRAVES VERSVS.

Vbi Abelis nomine vir iuſtus, Deoque acceptus intelligi poſſet. Verùm Anagramma quod in hemiſtichion exibit, venuſtiſſimum propter numeros iudicabitur. Vtcunque ſe res habeat, adponetur Anagramma in Epigrammate, maximè verò ad finem, ſed ita aptè, vt non tam adpoſitũ, quàm innatũ eſſe videatur. Ita fluent omnia in Epigrammate, vt dijudicare non poſſis, niſi præmonitus, quodnam ſit Anagramma. Referetur enim totum Poëma ad Anagrammatiſmum, qui & ipſe quadrabit Poëmati. Ac quemadmodum, quàmlibet pretioſa gemma, niſi auro inſignita, & in annulo ſcitè tornato inſerta ſit, neq; vſui nobis eſt, neque ſuum oſtendit nitorem: ita etiam Anagramma, vel maximi pretij, niſi in aureo, vt ita dicam, incluſum Epigrammate apparere nõ poteſt. Quod ſi quis ita feliciter præſtiterit, vt Anagramma Epigrammati, & Epigramma Anagrammati in omnibus reſpondeat, vt inter ſe partes cohæreant, vt venuſta ſint omnia, apta, & rotunda, is ſciat rem ſe præſtitiſſe non leuem. Tunc demùm dignum erit Epigramma, quod in omnium ore verſetur, in quod omnes conijciant oculos, quod omnium

non

non in aures modò, sed in intimos etiam animi sensus influat, quod offeratur Principibus ipsis, quod per omnes Prouincias circunferatur, quod denique ad posteritatem transmittatur.

Postquā igitur docuimus vnde esset, & quid esset Anagramma; quo item modo componeretur, compositumq; aptaretur, non erit ab re alienum nonnulla de illius vi, & efficientia breuiter, strictimq; dicere. Sed tota hæc disputatio ab eo pendet, num sit aliqua vis in nominibus: qui locus est sanè lubricus, quo insisti sine casu aliquo, aut prolapsione vix potest. Ego quod hac de re apud Auctores obseruaui, in medium conferam, & quantum in me erit, consulam breuitati. Cratylus & Heraclitus [a] existimabant nomina esse naturæ opus, si illa quidem recta, veraq; essent, eumq; etiam res nosse, qui nomina earum nouisset. Nec fortasse ab ea re discrepat, quod legitur in sacra pagina [b], *formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ uiuentis, ipsum est nomen eius, appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & uniuersa uolatilia cæli*; Quòd si quis paulisper intelligentiam suam excutiat, secumque consideret ea, quæ in sacris libris habentur nomina, in illis vim, effectum, rationem, & tacitum aliquod mysterium deprehendet [c]; quod quidem ex se clarius est, quàm vt vllam exemplorum lucem desideret. Et sanè ipsorum scientia nominum, præsertim diuinorum, sapientibus Hebræis tanti fuit, vt eam scientijs omnibus prætulerint, adfirmantes illam à Deo Patriarchis, & Mosi tributam, ac veluti concreditam fuisse: Mosi, inquam, eam non literis vulgaturo, sed Sanctorum mentibus insculpturo. Origenes [d] porrò cùm diuinorum nominum virtutem mirificam secum animo reputasset, scripsit, in sacris nominibus admirabilem latere virtutem, ideoque hæc ipsa non esse ex Hebræa lingua

a *Plat. in Cratyl.*

b *Genes. 2.*

c *Eusebius Pamphil. de preparat. Euangel. lib. 11. c. 4.*

d *Orig. in lib. cōt. Celsum.*

lingua in aliam transferenda, sed in suis characteribus conseruanda. Socrates,[a] in proprijs etiam nominibus rationem aliquam perpendit. Et verò vniuscuiusque rei τὴν οὐσίαν, non solùm per nomen, sed etiam per ipsas nominis literas, & syllabas voluit declarari. Quòd si ita est, maximi profectò momenti putabuntur Anagrammata, quæ ex nominum literis componuntur. Sed vix est, vt ipsa etiam nominum elementa rebus sint similia, quod ille tamen in quibusdam studet comprobare. At verò sunt, qui eò dementiæ, addam & impietatis proruperunt, vt ex nominis literarum numeris diuinationem, & vaticinia, ne scio quæ, confingant & comminiscantur, quorum anilem superstitionē his versibus indicauit Terētianus Maurus[b]:

Et nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc vt numeris pluribus, illa sint minutis,
Quandoque subibunt dubiæ pericla pugnæ,
Maior numerus quà steterit, fauere palmam:
Præsagia lethi, minima patere summa:
Sic Patroclon olim Hectorea manu perisse,
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Refert Plinius[c], Pythagoræ inuentis nō temerè fallere impositiuorum nominū imparem vocalium numerum claudítates, oculorum orbitatem, ac similes casus dextris ad signare partibus, parem læuis. Detestanda illa quidem homini Christiano, & perniciosa superstitio est, cuius si qui extant libri, in ignem conijciendi sunt,[d] vt Ephesi fidem annunciante Apostolo, eorum qui fuerant curiosa sectati, collati in vnum fuere libri, & combusti coram omnibus[e]. Et sanè sacrosanctum Concilium Tridentinum, vt in ceteris omnibus, ita etiam hac in parte, Christianæ Reip. sapientissimè prouidit, cùm omnes ad Onomantiam, hoc est, per nomen diuinandi artem spectātes libros prohibeat, interdicat, execretur[f]. Sed & ipse Summus Pontifex SIXTVS V. inter pleraque alia, quæ

primo

a Plato in Crat.

b Ter. Maur. de liter.

c Plin. lib. 28. cap. 4.

d l. cetera ff. fam ercisc. l. mathematicos. C. de episcop. audient. l. damnato. §. 1 & l. quicunq; §. nulli & §. seq. C. de hæretic. & Liuius li. 5. decad. 3. & lib. 4 decad. 5. Sueton. in August. cap. 31.

e Act. 19.

f Conc. Trid. in indice li. prohib. r. 8. 9

primo Pontificatus sui anno prædicatione dignissima egit, hoc etiam egit, quòd in sua contra exercentes Astrologiæ Iudiciariæ artem constitutione[a], in Onomãtas istos, & planos improbissimos grauissimis cẽsuris, & pœnis se dixit animaduersurũ. Absit igitur, vt aliqua diuinatio dicatur Anagrammatis effectus. Absit etiam, vt ad somniorũ interpretationem, quod comminiscebatur Artemidorus,[b] aliquid faciant Anagrãmatismi. Nam si ad viuum res erit resecanda, & paulò subtiliùs disputanda, vereor ne futilis sit, & nugatoria tota hęc Anagrammatis ratio, cùm pręsertim minùs laborandum sit de nomine,[c] quando constat de persona, vel re nominata[d]. Artifex enim nominum nõ talia nomina, quales ipsæ res sunt, imposuit, sed quales ipse putauit, qui vt homo decipi potuit, cùm in nullo penitus peccare diuinitatis magis, quàm mortalitatis sit[e]. Quis enim ignorat arbitraria esse rerum nomina, & ex pura puta hominum voluntate, quam ambulatoriam esse nostri dicunt[f], prouenire[g]? vt verè dixerit Horatius[h]:

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq́;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Quis tandem tanta erroris caligine occæcatus reperietur; qui non videat nomina propria, & humana, uel ex maiorum cognomentis, uel ex uoto imposita fuisse? An non etiam quę semel indita fuerunt nomina, ad arbitrium nostrum, aut aliqua ratione mutari possunt? Si de Hebręis loquimur, quę Sarai, Sara[i]: qui Abram, Abraham: qui Iacob, Israel[k] dictus fuit, vt interim pleraque alia huiusce rei testimonia, quę in sacra pagina passim legentibus occurrunt, breuitatis ergò missa faciam. Si ad Gręcos dilabimur, qui priùs apud eos Tyrtamus, postea Euphrastus nominabatur, tandem diuinitate loquendi Theophrasti nomen inuenit[l]. Philosophorum Homerus ille, qui ab auo Aristoclis nomen acceperat, à pectoris latitudine, uel

a in bullario.
b Artemid. lib. de somn. interp.
c Cic. in Topic. glo. in l. 2. §. pe. C. de consti. pecu.
d l. 4. C. de testa. l. si Fortidianum. C. de legat. & §. si quidẽ in nomine Inst. eod.
e l. 2. §. si quid autem. C. de vet. iur. enucl.
f l. 4. ff. de adim. leg.
g Varr. li. 4. de ling. lat.
h Horat. de art. Poët.
i Gen. 17.
k Ge. 32. 35.
l Cice. in Orat.

potiùs

potiùs à latiſſima feliciſſimi ingenij ad diſputandum copia, ita volente Palęſtrita Ariſtone, Plato fuit appellatus[a]. Apud Romanos ille Tyrius, qui priùs Malchus, quod priſca Phœnicum lingua Regem ſonat, dicebatur, demùm Longino Caſſio præceptore ſuo id volente, à Regum purpura Porphyrium[b] (vt cum Suetonio[c] loquar) ſe tranſnominauit. Sed quid, quæſo, his temporibus apud nos obſeruatur? Plerique omnes Summi Pontifices, cùm inaugurantur, vetere nomine depoſito nouum ſibi adſumunt[d], exemplo Domini noſtri IESV CHRISTI, qui primo Summo Pontifici à ſe inſtituto, Simonis nomen in Petrum, ſeu Cepham mutauit[e]. Et verò olim Imperatoribus creatis noua deferebantur nomina, & cognomina, quæ ij, & alij impunè accipiebant. Aulus Vitellius Imperator cognomen Germanici delatũ cupidè recepit, Auguſti diſtulit, Cæſaris in perpetuũ recuſauit[f]. Seuerus Afer, vt populo Romano placeret, Pertinacis: Iulianus, vt militibus voluptarijs ſatisfaceret, Commodi cognomen accepit[g]. Nunc in Confirmationis Sacramento cuique licet nomen ſuum permutare. Quid in Confirmatione dico? Quaſi verò non licita ſit etiam priuato homini omni tempore nominis mutatio, cùm præſertim vocabula hominum mutabilia eſſe cenſuerit Vlpianus[h]. Nam quod à Papiniano dicitur[i], falſi nominis, vel cognominis aſſeuerationem pœna falſi coërceri, dubium non eſt, quin eo ſenſu accipiatur, ſi nimirùm dolosè, & malitiosè nomen immutetur: vt ij fecerunt, quos Valerius Maximus recenſet[k]: alioquin verò ſi quis ſine fraude nomen ſuum ementitus fuerit, certi iuris eſt cum pœna Legis Corneliæ nõ teneri.[l] Audiamus parumper Imperatores Diocletianum, & Maximianum[m]. *Sicut (inquiunt illi) initio, nominis, cognominis, prænominis, recognoſcendi ſingulos impoſitio priuatis libera eſt: ita horum mutatio innocentibus periculoſa non eſt. Mutare itaq; nomen, vel cognomen, vel prænomen ſine aliqua fraude licito iure, ſi liber es, ſecun-*

a *Plutar. in Plat.*

b *Porphyr. in vita Plotin.*

c *Sueton. in Domit. c. 13.*

d *gloſſ. in proœmi. 6. in verb. Bonifacius.*

e *Ioan. 1.*

f *Sueton. in Vitellio. c. 9.*

g *Herodian. lib. 2.*

h *l. 4. ff. de legat. 1.*

i *l. falſi ff. ad l. Corne. de falſ.*

k *Val. Max. lib. 9. ca. 16.*

l *l. ad recognoſcendos. C. de ingen. manu. Bart. in §. nos verò nu. 2. in proœm. ff.*

m *l. Vnic. C. de mutat. nom.*

cundùm ea, quæ sæpe statuta sunt, minimè prohibêris, nullo ex hoc præiudicio futuro. Hactenus illi. Intelligimus iam nullam certam rationem duci posse ex nominibus, quæ incerta sunt; & ideò incerta etiam Anagrammata, quæ ex illis efficiuntur. Quin etiam ex eodem nomine, & ex eisdem omninò literis sæpenumerò eliciuntur Anagrammata duo penitùs diuersa, quorum vnum in bonam partem, alterum in malam sonat: in qua uarietate, & repugnantia nihil certi statui potest. Ego certè non semel re ipsa comperi, in viri boni nomine malum aliquid, in praui, bonum inueniri posse. Eò tandem recidit, & relabitur disputatio nostra, vt hæc Anagrammatum ratio vana, futilisque esse videatur; quod tamen nō ita præfractè accipi volo. Nam, vt ingenuè profitear quod sentio, nomina si diuina sunt, si sacra, si diuinitùs instituta, non est dubium, quin in illis virtus maxima lateat: si humana sunt, latent sub illis rationes quædam, quas primi eorum architecti è naturali quadam rerum & vocum conuenientia educentes, omnem sermocinandi artem aptè, concinneque rerum imaginibus fabricarunt, vt nomina sint symbola rerum significatarum, quæ fuit omnium fermè sententia; vt non ineptè existimarit Claudianus Mamertus Episcopus Viēnensis ideò nomen dici, quòd rem notam faciat, sitque velut rerum imago[a], cùm nomina significandorum hominum caussa reperta sint[b], & rebus consequentia esse debeant[c]; neque diuersum ijs mandandum sit vocabulum, quæ vis, ac potestas vna sociauit[d]. Non enim ex natura; vt docet Arist.[e] sed ex placito, institutione, seu lege hominū, sunt nomina[f]. Nam si à natura essent, eadē essent apud omnes omninò gentes, cùm singulæ tamen Prouinciæ propriū, & peculiare habeant idioma. Erunt igitur ex hominum placito, qui ea partim temerè, fortuitu, & inconsideratè, partim consultò, aptè, & ad rei naturam adcommodatè imposuerunt; vt nomina sint semper rerum notæ, & symbola,

a *Claudian. Mamert. ad C. Solin.*
b *§. si quidē in nomine Inst. de leg.*
c *§. sed nos Inst. de don.*
d *l. si idem. C. de codicil.*
e *Arist. de Interpr. lib. 1. cap. 2.*
f *Bart. in l. vlt. S. pen. ff. ad municip. & in rubr. ff. solut. matrim. n. 2*

bola, quando de illis inter homines conuenit; veluti ea, quę scribuntur, eorum quæ sunt in voce. [a] Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic, vt diximus, nec eædem voces. Vnde dependet tota etymologię ratio, quam eruditissimus quisque, in quauis lingua semper magnifecit, & probauit. Nam & in Iure nostro varijs in locis [b] ducitur argumentum à nomine, & locus ab etymologia diligenter à nostris pertractatur. [c] Seraphinus Linguarũ Hebraïcæ, Græcæ, & Latinæ (vt vulgares interim taceam) peritissimus docuit me pleraque inueniri vocabula, quæ ex vna lingua in aliam transferuntur per quarundam transpositionem literarum, vt qui Anagrammatismos tenuerit, & ipsorum etymologias nominum plerunque teneat. Cuius doctrinam non parùm iuuat, quod nuper apud Platonem [d] deprehendi, legislatorem scilicet ἄερα; idest aërem, ἥραν occultè, principio eius vocis in fine posito, nominasse, hoc ipsum autem cognosci, si sæpe ἥρα nomen proferatur, ἀὴρ enim manifestè resonabit. Quasi dicat Plato Iunonem ab aëre dici, propterea quòd ἀὴρ per Anagrammatismum facit ἥρα, quod est Iuno. Quare, vis & effectus Anagrammatis erit etymologiarum inuentio, quarum, vt dixi, magnus est vsus in omni disciplina. Sed vt ad personarum nomina veniamus, exclusa omni omninò superstitione, & vanitate, Angrammatismi effectus erit Omen. Optimè enim filijs consulunt, qui illis bona nomina imponunt, [e] quorum monitu ad præclara facinora excitentur. Et certè mirum est, quàm accuratè parentes illi semper obseruarunt, vt liberis suis boni ominis nomen imponerent; qua quidem in re tam felices fuerunt plerique, vt vaticinari, non ominari viderentur. Quam nominum fabricandorum legem diligenter retinendam esse Pythagoras discipulos suos docuit: Romani verò tam religiosè seruarunt, vt in militum delectu diligenter cauerent, vt primus faustam haberet no-

a Arist. de Interpr. lib. 1. cap. 1.

b l. 1. ff. de adquir. poss. l. 2 §. appellata. ff. si cer. pet. l. taberna. l. tugurium. l. bonorum. l. dimissoriæ. l. ager. l. plebs. §. pignus ff. de verb. sign.

c Coras. Miscell. lib. 3. cap. 22. Claud. Cantiuncula in Top. legal. Euerard. in Top. legal. Viglius. §. 1. Instit. de testam. ordinandis.

d Plato in Cratylo.

e Salicet. in l. 1. n. 2. C. de sũma Trinitat. per illum tex.

nomenclationem. Laudat auctorem Quintum Scæuolam Titus Probus[b], pueris non priùs, quàm togam virilem sumerent, puellis nō antè quàm nuberent, prænomina impo ni consueuisse. Suetonius[c] verò narrat infantibus olim lustrico die nomina fuisse imposita; & Plutarchus[d] refert Romanis morem fuisse, vt maribus nono die, fœminis octauo nomina imponerentur: à quo etiam nō alienus est Iudæorum mos, qui octauo die circuncisis nomina imponebant[e]. Quæso, qua moti ratione impositionem nominis in longinquum tempus differebant? Intelligebant viri sapientes non debere cæcos se, & præcipites ferri in re tanta, qualis est nominis impositio; sed tempus sibi ad deliberandum postulare. Bonum est enim, vt dici solet[f], habere bonum nomen, cùm Nabal secundùm nomen suum stultus fuerit[g]. Et salsissimè refert Ioannes Andreas[h] vxorem suam solitam dicere, si pulchra nomina proponerentur venalia, ea magno emenda nobis esse. Publius Scipio Romanus post deuictam Africam nihil ex ea, quod suū diceret, præter cognomen retulit, quod multis sibi laboribus comparauit[i]. An non etiam scholiastes Accursius[k], Ioannes Faber,[l] & idē Ioannes Andreas[m] nomen suum iactant, & efferunt? Neque immeritò Athenienses nomina iuuenum fortissimorum Harmodij, & Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam Tyrannū interficere adorti erant, ne vnquam seruis indere liceret, decreto publico sanxerunt[n], quòd nefas ducerent nomina patriæ libertati deuota seruili contagione pollui, & seruis ipsis inseruire. Ac licet nominis ferendi conditionē heres adimplere teneatur[o], cū nihil mali sit honesti hominis nomen adsumere[p], eaq. cōditio adscripta in tabulis in honorē nominis Iure Ciuili nō improbetur[q], exēplo Octauij Cæsaris, qui, quos heredes instituit primos, Tiberium ex besse, Liuiam ex triente, ferre nomen suum iussit[r]; illā nihilosecius, quam dixi conditionem Prætor in famosis,

a Io. Gorop. Becan. Hispanic. lib. 5
b Prob. in Epitome lib. 10. Valer. Max.
c Suet. cap. 6. in Neron. & Macrob. Satur. lib. 1 cap. 16.
d Plutar. in problem. & Festus de verbor. sign.
e Gen. 17. et Luc. 1.
f Prou. 22. Ecclesiast. 41
g 1. Reg. 25.
h Io. Andr. in c. cùm secundùm. de prebend. & in c. 1. de depos.
i Val. Max. lib. 3. cap. 7.
k In l. facta §. si in dāda ff. ad Trebel.
l Ioan. Fab. in §. si duorum. Instit. de rerum diuis.
m Io. And. in Prolog. Clemen. in principio.
n Aul. Gel. Noct. Attic. lib. 9. cap. 2.
o Guid. Pap. quæst. 251.
p l. facta. §. si sub cōditione. ff. ad S. C. Trebell.

q L. cùm filius. §. pater. ff. de leg. 2. r Sueton. in Octauio cap. 101.

& turpibus nominibus non exigit:[a] veluti si quis nomen vespillonis testatoris ferre iussus sit, quia, auctore Martiano, dignitatis habenda erit ratio[b], cùm vespillonem turpem esse hominem Marcellus dixerit[c], ideoque turpis hæc conditio, quæ turpe nomen inducit, remittetur, ac pro non scripta habebitur. Si igitur gloriosum est pulchrum nomen (vt certè gloriosum est) quod ex ipsius nominis literis elicitur Anagramma, etiam gloriosum esse quis non videt? Si bonum nomen, bonum in se omen habet, cur nõ & bonum Anagramma? Sed hęc perfunctoriè, & dicis caussa de Anagrammatismo tradidisse sufficiat. Nec enim, vt alicubi scripsit Duarenus, benè docet, qui docet omnia, & nihil subtilibus ingenijs excogitandum relinquit. At video quid dicturus sit aliquis, rem esse nugatoriam, & tamen difficilem, in quam cadat illud Martialis:[d]

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Difficilem esse fateor, sed quantò difficiliorem, tantò pulchriorem esse contendo, cùm ex sententia Socratis[e] quę pulchra sunt, sint etiam difficilia. Damnet ille quod propter ingenij sui tarditatem assequi se posse desperat, ne si id extollat, se ipsum deprimat. Sed saltem rem esse leuem, & nugatoriam euincet, eamque hac parte improbabit. Improbet igitur & Poësim. At improbabit, sat scio, & Poësim, maximè verò in Iurisconsulto. Et ego etiam ipse, vt Iuris studiosus, & Poësim, & Anagrammatismos ridebo, & exsibilabo: vt Poëta, laudabo, & extollam, fortassis etiam Poëmατων libros aliquot editurus: atque modò in hanc, modò in illam sententiam, quasi desultorius incurram, & vt Proteus in quamlibet formam meme ipse conuertam.

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res.[f]

Iam verò si huius, & illius persona deposita, Iudicis suscipiam; rem esse laude, & admiratione dignissimam, necnon

a d. l. facta §. si sub conditione ff. ad S.C. Trebel.
b l. sed sciendum. ff. eod.
c l. qui decl. §. vlt. ff. de solution.
d Martial. lib. 2. epig. 86.
e Plato in Cratylo.
f Horat. lib. 1. ep. 17.

non ad acuendum ingenium, & excitandam induſtriam multùm conferre; ſed qui neglectis reliquis ſtudijs, in hoc vno bonas horas collocet, illum ego malè feriatum iudicabo. Quod enim temporis alij pilæ, & aleæ (ne quid grauius dicam) tribuunt, id manſuetioribus Muſis aliquem tribuere, & in earum caſtiſſimo gremio tantiſper cõquieſcere, nemo eſt, vt opinor, qui improbet. Herennius Modeſtinus I. C. non contemnendæ auctoritatis à Gordiano Imperatore appellatus[a] Verſus certè non contemnendos factitauit, quorum extant in Virgilij libros argumenta, falsò quondam tributa Ouidio.[b] Auſonius vir Conſularis, idemque I. C. Gallus, inter Auſonios Poëtas non poſtremum locum obtinuit. Magnus ille Alciatus quantùm facultate Poëtica valuerit, ornatiſſima illius Emblemata declarant. Summus Iuriſconſultus Iacobus Cuiacius & ſuum ipſe Anagramma confecit,

a l. ad exhibẽdum C. ad exhiben.

b Bern. Rutilius in Modeſtin.

C V I A S.

C A I V S.

Et in duos noſtri temporis Iuriſconſſ. idem præſtitit; vt qui res duas ab vno præſtari poſſe negent, nimis demiſsè de hominum ingenio ſentire, & aliorum uires ſuis metiri videantur. Qui enim poſſit ludicra, illum etiam in ſerijs aliquid potuiſſe ipſa edocebit occaſio. Tu interim, amice Lector,

Viue, vale: ſi quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.[c]

c Horat lib. 1. ep. 6.

Ex Vrbe. xj. Kal. Nouemb. CIↃ. IↃ. XXCVI.

F I N I S.